



OTHONIEL filius Cenes, & frater Caleb minor natus, de tribu Iuda, iudicavit populum Israëlem anno mundi 2538. ante Christum natum 1424. In eo fuit spiritus domini: egressusque est ad pugnam, & tradidit dominus in manus eius Chusam-rathaim Regem Syriæ, cui Israëlitæ servierant annis octo, & oppressit eum. Hic iudicavit Israëlem quadraginta annis, & mortuus est. Iudicum 3. Iose. antiq. lib. 5. cap. 7.

A X A filia Caleb fuit, atque vxor Othoniel. Hæc à viro præmonita petiit à patre agrum, ac obtinuit, Iudicum cap. 1.

A O D, qui & Ehud, filius fuit Gera, filij Iemini. hic Israëlem iudicavit annos octuaginta à morte Othoniel: primus annorum huius principatus fuit 2578. à creato mundo: & ante Christum natum 1384. Hic populum liberavit à tyrannide Eglon regis Moabitarum, cui servierat annos decem & octo, propter legis transgressionem. Iudi. 3. Iose. lib. antiq. 5. cap. 8.

S A M G A R, filius Anath, iudicavit populum post Aod annum vnum. hic percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere, alij legunt stimulo bouum. Iudicum 3.